

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 8464

**Auteur(s) :** Caen (vicomte)

**Bénéficiaire(s) :** Guillaume du Hommet [particulier]

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1299

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

La connetablie de Normandie donnée à titre héréditaire aux du Hommet(Vidimus de 1299 des chartes des rois Henri II et Richard Ier d'Angleterre).

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Le Hardy Gaston, *Étude sur la baronnie et l'abbaye d'Aunay-sur-Odon*, Caen, H. Delesques, 1897, Pièces, n° 7, p. 262-264.

Texte d'après a

Universis presentes litteras inspecturis Vicecomes Cadomensis, salutem. Noveritis quod nos Anno Dni Mo CCo Nonagesimo nono, in festo Assumptionis B. Marie Virginis, vidimus et diligenter inspeximus duo paria litterarum sigillis magnis H. et R. regum olim Anglorum sigillatas, non cancellatas, non abollitas, non in aliqua sui parte vitiatas, quarum primam legimus in hac forma : Henricus Dei gratia rex Anglorum et dux Normandie et Acquitanie et Comes Andegav. Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronis, Justitiariis, Vicecomitibus, Ministris et omnibus suis fidelibus, Salutem. Sciatis me concessisse et presenti carta confirmasse Willo de Humeto constabulariam meam quam Ricardus de Humeto pater suus habebat de me, sibi et heredibus suis tenendam de me et de heredibus meis in feodo et hereditate. Concedo etiam eidem Willo et confirmo omnia subscripta que prefato patri suo concessi et dedi pro servitio suo, et cartis meis confirmavi sibi et heredibus suis in feodo et hereditate tenenda : videlicet Stanford cum omnibus pertinentiis castelli et burgi quam ibi habebam. Dono etiam eis et confirmo Ketene cum pertinentiis suis, et Dudintona cum pertinentiis suis, et de feodo comitis Giffardi, Risembergum et Siringham, et terram de Vaddonem et de Winchendonem in Norfolk ; et in Normannia : Meisi, et Hayam de La Lutemière, et terram Daupegard cum incremento quod ei addidi, et cum omnibus pertinentiis dictarum terrarum, tenenda in feodo et hereditate, sibi et heredibus suis de me et heredibus meis. Quare volo et firmiter precipio quod isdem Willelmus, et heredes sui post eum, constabulariam meam et omnia predicta habeant et teneant de me et de heredibus meis bene et pacifice, libere et quiete, interge et plenarie et honorifice, in bosco et plano, in pratis et pasturis in aquis et molendinis, in vivariis et stannis et piscariis, in viis et semittis, et in omnibus aliis locis et aliis rebus ad ea pertinentibus, et cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis. Testibus : R. Winton. – H. Baiocensis Episcopo. – Nicholao Capellano. – Waltero filio Roberti. – Ranulfo de Glanvilla. – Hugone de Exeissi. – Fulcone Paienel. – Bertrando de Verdun. – Ricardo Giffard. – Roberto de Stutevilla. – Guillelmo Pipard. – Apud Cadomum. Forma secunde talis est : Ricardus Dei Gratia... ut supra... quam Ricardus de Humeto pater suus habebat de H. rege patre meo, sibi et heredibus suis tenendam de nobis et heredibus meis in feodo et hereditate. Concedimus etiam eidem Willelmo et confirmamus omnia subscripta quod Henricus rex pater meus prefato Ricardo de Humeto patri predicti Willelmi de Humeto concessit et dedit pro suo servitio, et cartis suis confirmavit sibi et heredibus

suis in feodo et hereditate tenenda. Videlicet... ut supra... Testibus : Godefrido, Episcopo Winton. – Hugone Ep. Cestrense. – Willelmo, filio Radulfi senescalco Normannie. – Roberto Archidiacono Notingeham filio ejus. – Paganello de Rocheford senescalco Andegavensi. – Willelo comitis Arundell. – Roberto de Harecourt. – Willelmo de Fois (?) – Willelmo de Foro. – Philippo de Colomberiis. – Roges de Sachei. – Gaufrido Lestour. – Gaufrido de Lacell. – Datum per manum Johannis d’Alenchon Lexoviensis archidiac. vicecancellarii nostril. Anno primo Regni nostri, vicesima quinta die Junii, apud Turonis. Quod autem vidimus hoc testamur sub sigillo vicecomitatus Cadomensis. Datum anno et die supradictis.